UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalis Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiae, 1622

Cap. 14. De imitatione virtutum Deiparæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-48699

Visual Library

innouabitur: quaſi aquæ viuæ ſalientes in vitam æternam impetu repetito, nunquam marceſcent, neque ſitum contrahent, & quod eſt in pſalmo eueniet, Domina in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iuſtitia tua exaltabuntur. Quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum. *Pſal. 88. 17. 18.*

CAPVT XIV.

De imitatione virtutum Deiparæ Patronæ.

VEterem populum Iſaias Vates ad Abrahami Patriarchæ & Saræ eius coniugis æmulationem iure prouocabat, quòd ab ijs & ſtirpis & religionis originem traheret: *Audite me qui ſequimini quod iuſtum eſt, & quæritis Dominum, attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci de qua præciſi eſtis; attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* At quanto iuſtiùs qui *Iſa. 51. 1.*

Chriſtiano nomine cenſemur, Deiparæque inſuper clientes ac cultores propenſiori quadam voluntate nos eſſe profitemur, ad optimorum noſtræ ſalutis parentum imitationem exſtimulabimur, à quibus gratiæ vitam hauſimus, per quos ad beatam æternitatem regenerati, in Dei filios adoptati ſumus, quos cæleſtis vitæ duces, & diuinarum diſciplinarum inſtitutores nacti ſumus. Horum nobis ſunt & audienda præcepta, & documenta tenenda, & virtutum exépla præ oculis ſemper habenda, atque omni ſtudio conſectanda. Quod Apoſtolus Corinthijs, id clementiſſima Mater Sodalibus ſuis inculcatum cupit: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti:* totum ipſa Chriſtum tot annorum conſuetudine domeſtica penitus hauſit atque imbibit, moribuſque ſuis expreſſit, eius humilitatem, manſuetudinem, patientiam, clementiam, integritatem, innocentiá, charitatem, vt corpore ſit & animo quàm ſimillima proximaque filio mater. Gregorius: In carne Chriſtus apparuit, vt nó ſolùm nos per paſſionem redimeret, ſed etiam

1. Cor. 4. 19

1 p Paſtor. c. 3.

etiam per conuerſationem doceret; habeat nos vt redemptione ſeruos, ſic conuerſatione diſcipulos. Rectè item Ephiphanius, rectè Gregor. de Virgine matre: Mater eſt lucis quæ dixit, *Ego ſum lux mundi*, quæ in mundum venit, quæ aſſumpta eſt, & illuminauit cuncta quæ ſunt in cælis & terra, quæ lux candor eſt gloriæ, ſplendor lucis æternæ, oriens ex alto, illuminans his qui in tenebris & vmbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Sanè, vti notat S. Bonauentura, & ipſo nomine ſuo præfert Maria, Illuminatrix eſt fidelium per exempla vitæ ſanctiſſimæ, cuius vita glorioſa lucem dedit ſæculo, cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias; ipſa lucerna Eccleſiæ, ad hoc illuminata à Deo, vt per ipſam aduerſus mundi tenebras illuminaretur Eccleſia. Oret igitur Eccleſia, oret anima fidelis, & dicat: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine Deus meus, illumina tenebras meas. Hæc aliaque S. Bonauentura. Quemadmodum lucem ſuam à ſole luna mutuatur, eſtque ea lux nocti ma-

gis attemperata, ægriſque oculis facilius aſpicitur, quàm meridianus ille fulgor ſolis, quem vix valentes oculi ſuſtineant: ita Deiparæ virtutes tametſi à Chriſti Domini gratia ducant originem, & ex illo prototypo ductæ ſint & adumbratæ; tamen, quamdiu verſamur in huius ſæculi nocte & caligine, quamdiu lippientes & ægros habemus oculos, ad captum quodammodo noſtrum accommodatiores exiſtunt, eſtque nobis proclivius & iucũdius in Beata Matre Chriſtum filium, quàm in ipſomet Chriſto Chriſtum imitari, quaſi diuinitatis eius adiunctæ fulgore repercuſſi cæcutiamus, & tantam claritatem ſuſtinere nequeamus. Hanc in Deipara virtutum & exemplorum lucem celebrant Ruth
Ruth 4. 18. Moabitis, de qua ſacræ Litteræ: *Sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem*; Iudith eadem Scripturæ voce in omnibus famoſiſſima,
Iudith 8. v. 8. quoniam *timebat Dominum valdè, nec erat qui de illa loqueretur verbum malum*; Eſther
Eſther 10. v. 6. denique, *paruus fons qui creuit in fluuiũ, & in lucẽ ſolemq́ conuerſus eſt, & in aquas plurimas*

mas redundauit. Nam quarum agedũ vir-
tutũ exempla Deiparæ vita nõ ſuppedi-
tat? cuinam ætati, ordini, conditioniúe
hominum non eximiè pręluxit? A prima
ætate Deo conſecrata ſanctimonialis, ea-
dem & nupta, virgo, maritata, vidua, per-
fectiſſimum illud vitę genus ex contem-
platione & actione cõtemperatum mu-
neribus omnibus executa; cui nec Ma-
ria defuit vnquam, nec Martha, ſororis
opem nihil requirens; cùm in ea perfice-
ret actionem contemplatio, & contem-
plationem acueret actio; hæc ex illa gi-
gneretur, & ad hanc illa referretur. No-
tat S. Thomas, ceteros ferè Sanctos certa
quædam opera virtutum exercuiſſe ma-
iore ſtudio, alios humilitate, alios caſti-
tate præcelluiſſe, alios miſericordiæ lau-
dem tuliſſe, alios patientiæ, alios alijs
virtutibus claruiſſe, in quarum ferè ſin-
gularum exempla virtutum proponun-
tur, vt caſtimoniæ Ioſeph, Moſes man-
ſuetudinis, Iob patientiæ, miſericordiæ
S. Nicolaus, paupertatis D. Franciſcus:
at Beata Virgo in omnium virtutum da-
ta eſt exemplum, cùm in ea clariſſimè

omnes emicuerint, humilitas, prudentia, caſtitas, aliæ decem, quas è Scriptura nuper demonſtraui in recitatione Roſarij vſurpandas. Quo ſenſu, rite illud, quod de ea canit Eccleſia, intelligi poteſt: *Et ſicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia conuallium.* Vt hyemis aſperitate præterita gratior emanat odor è roſis lilijſque, quæ, vt tum maximè quoque delectant, & ad ſe pelliciũt oculos, rubricantes roſæ candidis intermixtæ lilijs; ita Deiparæ virtutum, quas hyems multæ mortificationis decoxerat, odores gratiſſimi fidelium animas exhilarare ſolent, & ad imitandum accendere, vt diuino velut amore ſauciæ ſanctorum Angelorum opem implorẽt:
Cant. 2. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Felices animæ, quas Chriſti Domini & beatæ Matris caſtiſſimus hic amor languorque conficit! Felix qui dicere poteſt aut filio, aut matri, aut vtrique: Odor tuus in me concupiſcentias excitauit æternas! Interim trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Habent hæc exempla virtutũ,
&

&florum & odorum vnguentorumque vim, & oblectant & confortant animam languentem, atque ægram ſanant. Nihil ſalutarius, & mea quidem ſententia, nihil iucundius quàm habere cuius ad vitæ normam tuam componas, in cuius imitatione morum acquieſcas, quem ducem ſequaris, & velut domeſticum inſtitutorem, cui tuas actiones probari exoptes, ad eamque regulam quam tibi ille præſcripſerit dirigas. Nihil triſtius damnoſiuſque quàm incertis & vagis ſemper eſſe moribus, nihil habere conſtitutum quod ſequaris, nullũ ad imitandum exemplar ſibi proponere. Nos Deiparam totius vitæ noſtræ præſidem, ducem, magiſtram, exemplar omnium virtutum abſolutiſſimum delegimus, cuius ad ſanctiſſimæ vitæ normam actiones omnes noſtras, ſacras profanaſque ita dixerim, quæ ad naturæ pertinent officia, & quæ ad pietatis & religionis cultum referuntur, omni ſedulitate exequeremur, quam in cibo, potu, ſomnoque capiendo moderatricem veluti cõtueremur, in omni ſermo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ne & congreſſu geſtaremus in oculis, ſed maximè in ſacris actionibus imitari niteremur. Quemadmodum illa vacabat orationi, ſacrum Miſſæ ſacrificium audiebat, ad ſacram adibat Euchariſtiam, operibus miſericordiæ incumbebat: ſic nos longo licet pòſt interuallo in eiſdem pietatis exercitiis verſari, pura illa ſinceraque diuinæ gloriæ intentione contenderemus. Ad hoc illa ſtudium nos prouocat atque adhortatur: *Nunc ergo filij*
Prou.8.32. & 33. *audite me. Beati qui cuſtodiunt vias meas. Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & noli-*
Pſal.65.16 *te abijcere eam. Venite, audite, & narrabo vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Ad hanc clariſſimam Cynoſuram obuertenda nobis nauigij prora, ſi portum tenere volumus. Ipſa eſt enim præclara & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum ſubleuata, micans meritis, illuſtrãs exemplis, & cetera quæ proſequitur Bernardus. Denique termi-
Ad Euſtochium. net hoc caput Hieronymi locus: Nos meliorum exempla ſectemur. Propono tibi beatam Mariam, quæ tantæ puritatis extitit, vt mater Domini eſſe mereretur.

Et

Et ad finẽ epiſtolæ: Qualis erit illa dies, cùm tibi Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis? cùm poſt rubrum mare, ſubmerſo cum ſuo exercitu Pharaone, tympanum tenens præcinet reſponſuris: *Cantemus Domino, glorioſè enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare?* *Exod. 15. 1.*

CAPVT XV.

De imitatione Theologicarum virtutum Deiparæ.

Virtutum omnium principes ſunt eæ, quæ quòd circa Deum proximè verſantur, Theologicæ nuncupantur; diuinitus infuſæ, quarum vſu præcipuè Dei cultus continetur, ex S. Auguſtini ſententia; ea certè de cauſa vſurpandæ plurimum, quòd Deum attingunt, & ſummum illud infinitum bonum, quatenus fert huius vitæ mortalitas, fruendum nobis ac poſſidendum tradant. quarum virtutum matrem ſe Deipara profitetur apud Eccleſiaſticũ; vel quòd illa-

In Enchirid. 2. & 3.

Lib. 1. de doctrina Chriſtiana.